





Patricio da Silva

Lutherum Computatum.


Coimbra 1781


















EXCELLENTISSIMO

A C

REVERENDISSIMO

DOMINO

D. FR. ANTONIO

CORREA

BAHIENSI

ARCHIEPISCOPO

BRASILIANARUM METROPOLITANO

FIDELISSIMAE MAJESTATIS Á CONSILIIIS;

CONIMBRICENSIS ACADEMIAE,

REGII GRATIARUM COLLEGII,

TOTIUS AUGUSTINIANORUM ORDINIS

IMMORTALI JUBARI, DESIDERIO

S. P. D.

**I**NCREDIBILI, fateor, plenus audacia, Te  
nunc adeo, PRINCEPS EXCELLENTISSIME,  
ut non sit, quod a proposito instituto deterrere queat;  
non male quidem elaborati operis tenuitas, non  
adtentati difficilis hujus negotii sublimitas, non  
omnibus per quam notae, propriae imbecilitatis confes-  
sio, neque demum tanti celsitudo Patroni, aut undequa-  
que huic periculo adstantium vel Magnatum, vel Doctis-  
simorum

A

BIBLIOTECA MUNICIPAL  
"ORIGENES LESSA"  
Tombo N.º 35.181  
MUSEU LITERÁRIO



simorum hominum conspectus. Ex quo, fortuita, ac inspe-  
rata id disponente sorte, mihi sacro, ac insimul gratif-  
simo obstrictus praecepto, in publicum denuò, improvise  
que, sum jussus prodire, tanto oneri extenuatae jam ni-  
mis vires succumberent, si non benigna valde fors eadem,  
de tam opportuno auxilio, tuo validissimo auspicio, pro-  
videret. Inter quamplurimas in animum repente excitatas  
curas, sollicitudines, anxietates, dum hinc debitum in  
omnibus, ac maximum obediendi desiderium, illinc opti-  
me perspecta, vel ex nimia rapiditate temporis, vel ex  
officii magnitudine, mandati difficultas insurgit; quid  
perturbatam adedò mentem erigeret, si non subita adesset  
statim, insimul ac faustissima nostrum omnium infixi cor-  
dibus, Tui desideratissimi Nominis recordatio? Velut cum  
post nubila exoriente Phoebò, clarior affulget dies; ad  
Tui Nominis conspectum, id satis foret, quod dissipatis  
omnibus dubietatum tenebris, alacri animo tam difficile  
munus obirem: ulterius, tanto fultus praesidio, intrep-  
idus certamen aggredior; ad maiora etiam libentius pro-  
perabo. Memini siquidem, quantum, dum adhuc in Co-  
nimbricensi nostro Collegio resideres, vel etiam segniores  
quosque, non praeceptis tantum, ipsamet Tui praesentia,  
ad ardua quaeque subeunda in litterarum laboribus pro-  
movebas: quantum vel unico solum verbo, solis quando-  
que nutibus, abstrusiores quosque scientiarum nodos dissol-  
veres; ut si quando in frequentissimis illis concertationi-  
bus, a junioribus in Collegio sustentari solitis, aliqui  
maiori difficultatum pondere ab Arguentibus premerentur,  
Tu mirabili quadam vel solius obtutus energia, se ex-  
pediendi viam ipsis feliciter demonstrabas. Sed non junio-  
ribus tantum, provectissimis etiam, ac in litterarum stu-  
diis senescentibus, quantum omnibus levamini erat,  
promptissima illa Tua omnium rerum, omnium scientia-  
rum notitia! Si quem ad dicendum ex tempore casus ur-  
geret; dum nullum ad evolventa volumina tempus supe-  
rerat; dum perturbato Bibliorum indice, in immensa il-  
la librorum copia, difficile nimis foret, quod requireba-  
tur, invenire; haec omnium vox semper fuit, universa-  
le



*Te solatium: Adeamus Magistrum CORREA. Nec mora, de quocumque sermo incidret; de disparata qualibet notione vel sacrae, vel prophanæ historiae, de quibuscumque vel Conciliorum, vel Pontificum Decisionibus ageretur; de enodanda implicata quacumque vel scripturarum, vel sanctorum Patrum sententia; verbo: de omnibus vel ad Philosophiam, vel ad Theologiam, vel ad Chronologiam, vel ad Geographiam, caetera pertinentibus, Tu omnibus praesto, pro Bibliotheca omnibus eras; in Te uno discerant omnes, quod sparsim in innumeris voluminibus, vix multo tractu temporis, multis sudoribus reperirent. Hinc factum, ut in sollemnibus illis, ac extemporalibus litteratorum periculis, in illo exteris quidem invidendo Nationibus Ostentationum theatro, in quo, absque caeterorum injuria, principem personam semper indueras, dum nihilo de novo ad dicendum, & quidem mira, ac optima, indigeres, promptissimo aliis semper eras auxilio, omnibus proderas, ut non immerito diceretur, Te unum per omnium ora loqui, Tui que omnes laudes esse, Tuos esse triumphos, ab omnibus acceptas acclamationes, reportatas victorias. An assentatoris ipse nunc jure insimulet? sed quid de novo ipse dixerim, quod non in Aulis, in foro, in vicis, in compitis, ubique, a Proceribus, a Sapientibus, a Magnis, a pueris, ab omnibus recitetur? Et cur non libere ipse loquar, quae audiui toties, quae sum toties expertus, quae omnes fatentur? Forsan Tuæ aliquantulum modestiae ipse consulere debuissim? Consulo satis, & invitus consulo, dum innumera, & illa quidem maiora reticeo, quae Fidelissimam, atque nunquam satis laudandam Reginam nostram impulere, ut Te ad supremam Brasiliarum Infulam elevaret, eo-met tempore quo eximium Sapientiae Tuæ meritum ad illustrandas Conimbricensis Academiae Cathedras rapiebat; ut incomparabilem novi illius orbis ex tanto Pastore laetitiam, nostrae Academiae luctus exciperet, sicque summis gaudiis, summum etiam desiderium intercurreret. Illas, inquam, Tuæ consulendo modestiae, Virtutes reticeo, quae Te Praesulem ita undequaque beatissimum effi-*



efficiunt , ut videatur quodammodo , vel ipsam-met natu-  
ram Te ad maiores quasque dignitates efformasse , dum  
quandam in omnibus pietatem circumfers , quae omnes in  
Tui venerationem alliciat , compellat vel invitos. Proh!  
Et quam praeclaris exornaris animi dotibus ! Qua cle-  
mentia praeditus , paternis omnes semper es amplexus  
visceribus ! Quanta benignitate , ac prudentia commen-  
dabilis , ut ad omnium semper vota tractabilem inclina-  
res auditum , quin ullum vel pro duriori severitate de-  
terreres , vel pro nimia indulgentia corrumperes ! Quan-  
to Dei amore , ac legis zelo succensus , quo , si quae fo-  
rent , malignorum cohiberes errata , & insinul cupida  
sanctitatis , ac perfectionis assequendae inflamares inge-  
nia ! Quam demum Religiosus in omnibus , ut quos ubi-  
que anteibas merito , in omnibus promoveres exemplo ! Sed  
ulterius Virtutes Tuas promere , Virtus ipsamet Tua  
non sinit , qui ubivis laudes promereri studuisti potius ,  
quam audire. Solius ergo nunc singularis Tuae in litte-  
ras , ac litteratos humanitatis recordabor , qua nisus o-  
pusculum jam hocce Tibi sisto , Tibi omni jure debitum ,  
atque nonnisi per maximae ingratitude monumentum  
a Tuis auspiciis subtrahendum : si quid enim in ipso vi-  
dere est aliqua adtentione dignum ; si quidquam in hoc  
studiorum genere , me profecisse , aliquibus videatur ; id  
totum Tuae curae , Tuis institutionibus , Tuo patrocinio  
tribuendum : ut ex inde appareat , quam merito , ipse ,  
tantum , Te Magistro , Te Duce glorior ; quantum , Te  
Alumno , Augustinianus Ordo ; Te Praesule , Babien-  
sis Ecclesia gloriatur. Utinam saltem quos annos hucusque  
vixisti mundo , tot deinceps nostrum gloriae viveres , ut  
in Te miraremur omnes , senescente in dies aetate , & mei ,  
& Religionis , & Ecclesiae decorem in dies reviviscere.

LUTHE-



# LUTHERUM CONFUTATUM

SEU POTIUS

DEFORMEM EXECRABILIS LUTHERANORUM SECTAE EFFIGIEM HISTORICE, POLEMICEQUE ADUMBRATAM

# AUGUSTINI PARENTIS MAXIMI

IN PRIMIS FRETUS AUXILIO  
PRAESIDE

D. Fr. JOSEPHO DE SAMPAIO

*In Sacra Theologia Magistro, ac ejusdem Facultatis, in Conimbricensi Academia, pro obtinendis Cathedris Decertante*

*In Regio Conventu Dom. nostr. à Gratia die 3 hujus mens. Vesp  
Pro Solemnibus Augustinianis comitiis in eodem Conv.  
celebrandis.*

EXPUNGET

Fr. PATRITIUS SILVIUS

*Regalis Collegii Conimbricensis Alumnus*

---

## IN LIMINE EXPONETUR

*Illud August. lib. de Haeref. cap. 1.*

*Ego hoc magis volo facere, si & Deus velit, unde possit  
omnis haeresis, & quae nota est, & quae ignota vitari.*

## PRAEFATIO.



XORIENTE in terris expectata tandiù  
splendissima è Coelo demissa Luce, quae  
& Gentium, & Judaeorum caecitatem  
dispelleret, & densissimas quasque nos-  
trarum mentium tenebras, superno ve-  
ritatis lumine dissiparet: excusso illo du-  
rissimae servitutis jugo, quo miserè in-  
felicissima Primi Parentis soboles tenebatur, stabilita-  
que à Christo Domino nova insimul, ac saluberrima vi-  
vendi lege, per quam nobis securiùs beatitudinis januae  
pande-



derentur ; quidni tanto omnibus concesso dono fruerentur homines , tantoque devincti munere, suo Liberatori, aeternas grates rependerent ? Nihil tamen minus : ingemifcente quippè tartareo illo Principe , de vindicato à Christo , crudelissimo suo in totum mundum imperio ; mirum quot , velut furiosus canis , ingeminando latratus , & si durissimis jam adstrictus catenis , in nascentis suo damno Religionis excidium , miseris adhuc suo servitio emancipatas excitavit cohortes ! Excitavit quidem , & in primis sacrilegam Judaeorum turbam , ut in ipsum , qui venerat curare eos , velut insanientes phraenetici , ad mortem usque conspirarent. Excitavit dein Gentiles diabolo adhuc impiè litantes , qui omnium persecutio- num adjectis viribus , Fidelium animos à Reparatore suo Christo , qua vi , qua fraudibus tentarent avellere. At cum vel suspenso in Cruce Domino , vel impleta Martyribus terra , in dies Christianorum gloria tam de Judaeorum crudelitate , quam de Paganorum insidiis triumphasset ; altero persequendi genere diabolus utitur , eò periculofiori , quò cum domesticis incundum foret bellum , haereticos excitando , qui sub vocabulo Christiano doctrinae resisterent Christianae. (a)

Ergo vel statim à nascentis Ecclesiae exordiis innumeri exurgunt perditii homines , qui venenatis errorum morsibus , piissimae Matris suae dilacerarent viscera : non defuere tamen strenuissimi per omnes aetates divisi pugiles , qui opportunum praestruerent obicem , ne pestiferum illud virus per Christi Ecclesiam in dies grassaretur ; Athanasius siquidem Arianos ; Augustinus Manichaeos , Pelagium ; caeteros Ambrosius , Iraeneus , Justinus , Epiphanius , alii praeclarissimi veritatis duces , viriliter adeò debellarunt , ac in tantum vicerunt , ut de caetero nec sinerent respirare quos vicerant : sicque post tot de infensissimis Ecclesiae hostibus a Sanctissimis Patribus reportatas victorias , optabili omnibus bonis pace

---

(a) Augustin.



pace Ecclesia ipsa fruebatur , ut si quando pessimae illius , ac jam antea eradicatae arboris furculus de novo aliquis pullularet , à fidelibus villicis in agro Domini vigilantibus , de facili putaretur.

Sed quae repente , nostris ferè temporibus , velut ex minutatim fluentibus antiqui veneni guttis turgidissima crevit eluvies , quae rapidissimo suo cursu laetissimas , ac virentes Ecclesiae sterneret segetes ! Quale vel ex nondum bene extinctis haereseos scintillis voracissimum insufflatur incendium , quo tota fere Europa , haec melior Christiani orbis portio conflagraret ! Scilicet perfidus apostata Lutherus è Germaniae silvis , immò ab inferorum antris erumpens , virulento suarum novitatum afflatu omnia inficit , ac diabolico percitus furore , se in totius Catholicae Ecclesiae perniciem obarmat. Diruuntur Coelestibus dicata Tempia , vera tolluntur sacrificia , conculcantur sanctorum imagines , corrumpuntur virgines , per omnes fidelium conditiones , ac status ferrum , foevitia debacchatur : nihilque erat tam sacrum , nihil tam religiosè ad nostra hucusque tempora in Ecclesia servatum , quod teterrimus desertor ille , immanibus excogitatis erroribus non foedaret : quin & adinventio-  
num suarum machinis non modo populorum , sed & Principum ita animos imbuit , ut & Federicum Saxonum Ducem , & Philippum Cattorum Principem , liberas quamplurimas Civitates , totam ferè Germaniam eodem furore concitam in perfida arma propelleret , sociatis brevi tempore centum propè armatorum millibus , qui adversus Christianam fidem praecipiti insania dimicarent : quo factum , ut pessimum hocce Lutheranismi monstrum in praecipuis Germaniae civitatibus Sedem figeret ; & , quod dolendum maximè , successu temporis , florentissimam olim Sanctorum Insulam , Anglos , Suecos , Batavos , Belgas , Danos , alias quamplurimas in omnibus mundi partibus Nationes , iniquissimis suis legibus manciparet.

Dùm



Dum verò tantum ab Aquilone super omnes habitatores terrae panditur malum, (a) nostra abutendo patientia, fortior in dies evadet iniquitas, quin collectis in unum viribus, quantum ipsae dederint, pessimo tantae impietatis Auctori obsistamus? Id certò nunc nostra mens est, in nequissimum Lutherum, perfidosque omnes suarum partium fautores, etsi jam plurima exesum rubigine, novem scilicet annorum interjectis induciis, ferum iterum distringere; si forte eo exitus perveniant, quo vota. Scimus illos, queis primùm, hoc in arenam descendendi, prudentiori quidem consilio, onus fuerat commissum, maiora adhuc esse meditados certamina, gratius insimulque omnibus esse spectaculum praebituros. Dum verò casuum vicissitudine, negotium ante demandatum ipsis, praeter nostrum expectationem, improvisò nobis incumbitur, cum uno tantum Luthero congregandi munus adhuc nobis difficile, quodque solidius postularet robur, praesertim cum inveterato jam pridem requiesceremus otio, & cum nullum, aut brevissimum quidem temporis concederetur spatium, quo ea, quae ad periculosum adeo ineundum bellum necessaria forent, pararemus. Est tamen quod labentem aliam animam erigat: opportunum in primis divinae promissionis auxilium, insimulque invictissima Parentis Augustini, adhuc in suis scriptis praesentia, quo validissimo fulti praesidio, terribilem licet Lutheranismi belluam jam in ipsius excidium provocamus.

---

(a) Jerem. i. 14.



*Praevia quaedam de Deo , cultu ipsi debito , ac  
de verae Ecclesiae dotibus , ad faciliorem  
Lutberanisimi confutationem.*

**N**ATURALI lumine , omnium hominum cordibus ab Omnipotente ipsorum Creatore indito , tam Deum extare constat , quam insimul esse colendum , ipsique ab omni creatura intellectu , ac ratione praediſta debitum ſervitutis , ac ſubjectionis obſequium eſſe praestandum. Unde dum extitere ab initio homines , una cum ipsis ſtatim ſacer mos iſte invaluit , ut ritus , ac caerimonias quaedam ſibi unusquisque praefigeret , quaeis Deus per aliquod exterius ſacrificium coleretur. Multiplicata hominum multitudine , atque per totum orbem diſfuſa ; quod antea unusquisque ſibi particulari lege ſanciverat , à populorum Reſtoribus , ac Principibus , omnibus in communi ſtabilitur , certos quosdam ritus , ac caeremonias praescribentibus , ut multitudinem populorum in uno veri Dei cultu , ac in una certa Religione cohiberent. Tractu temporis , qui ritus , ac modi colendi Deum à Parentibus in Filios , non interrupta traditione derivabantur , à celeberrimo illo Iſraelitarum Conductore , Deo ipſo dictante , firmantur ſcripto , quibusdam additis , vel mutatis , prout temporum , populorumve ratio , aut conditio poſtulabat ; quouſque tandem veteri illa Synagoga in meliorem commutata Eccleſiam , quando non jam taurorum , aut hircorum , ſed ipſo immaculato Chriſti ſanguine , noſtra perfunderentur altaria , ſanctiores etiam à Chriſto Domino praescribuntur regulae , ac leges , per quas Deus puriori coleretur modo , & in quarum obſervantia , vera congregatio fidelium à caeteris infidelium coetibus diſtingueretur. Quibus ſtatutis , exinde ſe-

B quentes



quentes conclusiones eruuntur :

1 Sola Ecclesia à Christo Domino fundata est vera Ecclesia.

2 Quae non ex omnibus in univèrsum hominibus , sed ex fidelibus tantùm vel justis , vel etiam peccatoribus coalescit.

3 Ab ipsa , jure merito excludimus gentiles , haereticos , & fortassis etiam schismaticos.

4 Christi Ecclesia ad finem usque mundi est perpetuò duratura.

5 Est Visibilis tamquam civitas supra montem posita.

6 Est necessariò infallibilis , ut nunquam possit deficere fides ejus.

7 Est tam antiqua , quantum Christus Dominus ipsius Auctor.

8 Gaudet nunquam interrupta Summorum Pontificum successione sedentium in Petri Cathedra.

9 Est una , eademque semper tam in unione cum capite , quam in unitate doctrinae.

10 Est Catholica , Universalis , ac per totum orbem diffusa.

11 Est Sancta , pura , ac immaculata tam doctrina , quam moribus.

12 Exornatur etiam Ecclesia ingenti miraculorum numero , innumerabilum Martyrum sanguine , plurimarum infidelium Nationum conversione. Ex quibus omnibus.

SEQUITUR 1 Solam Christi Ecclesiam salutarem esse , ac veram Ecclesiam.

SEQUITUR 2 Obliteratam jam esse Judaeorum Synagogam , & post Christianae Religionis promulgationem , mortiferam.

SEQUITUR 3 Vel etiam rationi contrarium esse Atheistarum systema , si qui fortè sunt , qui Athei verè dici possint.

SEQUITUR 4 Irrationalem omninò esse , ac falsissimam opinio-



opinionem ab Idololatrarum popularibus admittam, plures Deos esse colendos; quo ab errore Sapientiores Gentilium non immeritò excusamus, aut saltem benignius interpretabimur.

SEQUITUR 5 Execrabilem esse Epicureorum sententiam, beatitudinem hominis in hujus vitae deliciis constituentium, ac immortalitatem rationalis animae denegantium.

SEQUITUR 6 Adversus Turcas, abominandam valde esse Religionem, ac Legem a Mahumete Arabico ipsis impositam, ac miserè ex Judaeorum, Christianorum, ac Paganorum legibus confutam.


SEQUITUR 7 Contra Deistas, ac Libertinos, aliquam Religionem debere admitti divinitus revelatam.

SEQUITUR 8 Contra Indifferentistas, nequaquam omnes Religiones salutares esse, sed unicam tantum esse Christianam, in qua salus possit obtineri.

SEQUITUR Tandem, vanas esse, ac sacrilegas omnium haereticorum Religiones, ac Lutheri potissimum, quam summo verae Ecclesiae, ac florentissimarum aliàs Nationum praedictio, potissimas Aquilonis Regiones invadentem, pro viribus jam aggredimur debellandam.



*Compendium de origine Lutheranismi , ac  
ipsius progressu.*


 UM sub initia seculi sexti decimi Selimus Turcarum Imperator , subactis Persis , totaque depopulata Egypto , tot repetitis victoriis audacissimus , in Ungariam castra moveret , totiusque Orientis excidium , ingenti armorum adhibita copia , minaretur ; qui tunc Universali Ecclesiae praeerat Leo X. de populi sibi commisso , ac traditae sibi Gregis securitate sollicitus , implorato prius jejuniis , ac piis precibus Dei auxilio , Legatos misit ad omnes Principes Christianos , ut collectis in unum viribus , quibus tunc sese mutuo debellabant , in communem potius totius Ecclesiae hostem se converterent , ac imminente toti orbi Christiano perniciiei obfisterent. Obsequuntur Principes , velut obedientes filii , adeo justis Supremi Pastoris precibus , ipsum vicissim interpellantes , ut ad sustinendos tam difficilis expeditionis sumptus , eos totius orbis Christiani fideles , quorum causa communis erat , aliquali elemosynarum contributione adjuvarent , concessis ex thesauro Ecclesiae Indulgentiarum gratiis , quibus ad tam pium , adeoque opportunum subsidium fideles ipsos excitaret. Annuit piissimus Pontifex , exarata statim Bulla , quam communiter appellant *Cruciatae* , vel in hunc tam utilem Ecclesiae finem , vel ad amplissimum etiam B. Petri Basilicae perficiendum opus , quod Praedecessor Julius inchoaverat. Pro tota Germania praedicandi has Indulgentias munus Archiepiscopo Moguntino S. R. E. Card. Alberto S. Pontifex commendaverat , qui ultro idem negotium commisit Tetzelio Ordinis Praedicatorum , Fidei per Germaniam Quaesitori , adhibitis aliis ejusdem Instituti viris , ut facilius injuncto oneri satisfacerent.

Non-



Nonnulli scribunt, vel etiam ex Catholicis, aliquos sanè in hujusmodi Indulgentiarum promulgatione irrepsisse abusus, quibus non parum offenderentur populi; vel quia plus aequo Indulgentiarum meritum aliqui prædicatores extollerent, ut largiores eleemosynas exprimerent, vel quia plurimam inde collectam pecuniam in usus proprios convertebant. Utut sit, Joannes Staupitius per Germaniam Vicarius Augustiniani Ordinis Generalis, summae auctoritatis vir, quippe qui ob antiquam sanguinis claritudinem, litterarum splendorem, caeterasque animi dotes, apud Fridericum Saxoniae Ducem valebat plurimum; vel non adeo reprehendendo succensus zelo, vel etiam invidia, aut aemulatione commotus, si forte quod permulti dicunt, longo jam tempore, munus promulgandi per Germaniam Indulgentias, Augustiniani obire consueverant, Lutherum excitavit, tunc temporis non solum litteris, sed & quadam specie pietatis florentem, ut grassanti per Germaniam circa indulgentias abufui opponeretur. Ast Lutherus ut erat ingenio perfervidus, maximèque novitatum, ac innanis gloriae cupidus, in praestituto officio nequaquam potuit contineri, quin disruptis omnibus modestiae, ac pietatis repagulis, in Ecclesiam inciperet debacchari; frequentissimis praevertendo populos concionibus, ac publicis etiam propugnatis Thesis omnem omninò Indulgentiarum valorem, ac meritum enervantibus.

Cum Staupitium, ast serò poenitisset, quod Lutherum huic concionandi muneri destinasset, nec cum ultra jam posset debitis limitibus continere, ipsum coepit statutis ab Ordine, ac jure poenis inurere: quod etiam fecere Supremi Pastoris Legati, infimul & Carolus Imperator: omnia tamen elludebat Lutherus, Friderici, Phylippi, aliorumque Germaniae Principum fretus auxilio: unde velut equus laxatis habenis, horrendum illud monstrum in dies in praeceps ibat. Ecclesiae  
jugum



jugum excutiit, supremo ejus Capiti debitam subjectionem, ac obedientiam denegando. Religionis cui, terroribus de Cœlo percussus, per aliquot annos nomen dederat, cucullam exuit; unamque ex Monialibus Catharinam de Bore, jam incesto gravidam, matrimonio sibi sacrilego copulavit: quod & executi fuere, eo laudante, alii impiissimi Lutheri asseclae, ex Monasterio Nimicensi novem Virgines Deo sacratas, ac genere nobiles ad sacrilega connubia rapientes, ipsismet sacris diebus, quibus Ecclesia Catholica anniversariam dominicae passionis memoriam celebrabat. Ex brevissima hacce de exordiis Lutheranismi historia, sequentia possunt deduci:

1 Summa laude dignus est Leo X. quod Lutherum, & ejus scripta diris multoties devovisset.

2 Non imprudenter se gessit Leo in Indulgentiis concedendis.

3 Mera calumnia est, putidumque figmentum, collectas in Saxonia Indulgentiarum pecunias Leonem Magdalenae sorori suae concessisse.

4 Immeritò etiàm idem Pontifex accusatur, quod Indulgentiarum proventum privatis quibusdam, more secularium vectigalium, divendiderit.

5 Non erat adeò stabilis consuetudo promulgationis Indulgentiarum per Augustinianos faciendae, ut hoc munus multoties diversi Ordinis hominibus non inveniatur concessum.

6 De facto quamplurimi abusus in promulgatione Indulgentiarum per Germaniam ab aliquibus praedicatoribus notantur commissi.

7 Huic grassanti malo, non quidem mala fide, Lutherum Staupitius ipsius Praesul ac Vicarius Generalis, opposuit.

8 Jure, ac merito Henricus VIII. Angliae Rex per illustri *Defensoris fidei* titulo, ob praeclara in Lutherum scripta, insignitur.



9 Liber de *Sacramentis* adversus Lutheranorum errores fuit revera ab ipso Anglorum Rege conscriptus.


10 Maxima laude dignus est Carolus V. quod puro fidei zelo succensus , toties Lutherum proscripserit.

11 Per maximam impudentiam Lutheranorum aliqui gloriantur , quod Carolus Imperator Augustanam Confessionem approbaverit, aut ipsis aliquando adhaeserit.

12 Nullatenus vero excusari potest Carolus , quod libello *Interim* promulgato , & foedere, cum Mauritio Septem viro Saxoniae , stabilito , suae utilitati magis , quam Catholicae Religionis bono consuluit.

### §. III.

#### *De praecipuis Lutheri , ac Lutheranorum erroribus.*



OST primam à Christiana , & Augustini Religione apostasiam , cum abyssus abyssum invocet , in tot de caetero errores fuit prolapsus Lutherus , ut omnes difficile foret vel saltem enumerare : potissimos tamen , qui execrabilem Lutheranismi sectam efformant , eo-met ordine , quo à pessimo suo auctore constructi sunt , ipsius-que-met verbis expressos , jam recensemus , ac insimul offerimus expugnandos. Quod primò venenum in Ecclesiae , ac verae fidei perniciem serpens iste evomuit , videre est in *Thesibus* ab ipso Wittembergae an. 1517. disputatis , ubi has Conclusiones proponit defendendas ; quibus insuper adjungemus caeteros Lutheri errores ; quos vel ex aliis ab ipso propugnatis *Thesibus* , vel ex caeteris ipsius scriptis colligere potuerimus , ut uno, eodemque ictu omnes insimul jugulemus. Audite jam Nebulonem hunc impiissimum blaterantem.

1 *Papa non vult , nec potest ullas poenas remittere ,  
praeter*



praeter eas, quas arbitrio, vel suo, vel Canonum imposuit. (a)

2 Papa non potest remittere ullam culpam, nisi declarando, & approbando remissam à Deo, aut certè remittendo casus reservatos sibi.

3 Imperfecta charitas, seu charitas morituri necessariò secum fert magnum timorem, qui fatis est se solo, ut poenam Purgatorii faciat, cum sit proximus desperationis errori. (b)

4 Non videtur probatum ullis aut rationibus, aut scripturis, quod animae in Purgatorio sint extra statum meriti, seu augendae charitatis, & quod sint de sua beatitudine certae, aut securae saltem omnes. (c)

5 Thesauri Ecclesiae non sunt merita Christi, & Sanctorum.

6 Remissio culpae non innititur contritioni peccatoris, nec officio, aut potestati Sacerdotis: innititur potius fidei, quae est in verbum Christi dicentis: Quodcumque solveris &c. Verum est enim quod non sacramentum fidei, sed fides sacramenti, id est non quia fit, sed quia creditur, justificat. (d)

7 Quantumlibet incertus sit tam Sacerdos, quam peccator de contritione, rata est absolutio si credit se absolutum. Certum est ergo remissa esse peccata, si credis remissa, quia certa est Christi Salvatoris promissio. (e)

8 Super contritionem aedificantes remissionem, super arenam, id est, super opus hominis fidem Dei aedificant.

9 Sacerdos, etiam levis, ac ludens, verè tamen baptizat, & absolvit: etiam si non serio, sed joco absolvat, si tamen credat se absolutum, verè est absolutus.

10 Sacramenta novae legis non sic sunt efficacia Gratiae signa, quod satis sit in percipiendis non ponere obicem. (f)

11 Si-

---

(a) Tom. 1. op. Lut. p. 51. (b) Art. 4. è damn. a Leone X. (c) Art. 32. è damn. a Leon. (d) Aliae concl. a Lut. eod. an. propugn. tom. 1. f. 53. Undec. è damn. a Lecn. (e) Art. 10. è damn. (f) Fol. 61. Art. 1. a L. damn.



11 Sicut venialia peccata non pertinent ad confessionem, & absolutionem clavium, ita nec omnia mortalia. Si homo teneretur omnia peccata mortalia confiteri, & ab eis absolvi, teneretur simpliciter ad impossibile. Unde in primitiva Ecclesia solum manifestè omnia peccata mortalia confitebantur. (a)

12 Nullus hominum cognovit quoties peccet mortaliter, etiam in bonis operibus propter vanam gloriam. (b)

13 Opera hominum, ut semper speciosa, bonaque videantur, probabile tamen est ea esse peccata mortalia. (c)

14 Tunc verè sunt peccata apud Deum venialia, quando timentur ab hominibus esse mortalia. (d)

15 Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, & dum facit, quod in se est peccat mortaliter. (e)

16 Non ille justus est, qui multum operatur, sed qui sine opere multum credit in Christum.

17 Novi Auctores, ut Mag. sent. S. Thom. & horum imitatores tres partes faciunt Poenitentiae, nempe Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem: quae distinctio deduci non potest ex Scriptura, neque ex antiquis Religionis Christianae Auctoribus. (f)

18 Ex nulla Scriptura colligi potest, divinam justitiam sive poenam sive satisfactionem exigere de peccatore.

19 Illius imaginariae poenae nomen, quam Indulgentiae excludunt, nemo explicare potest, neque quisquam novit quidnam sit.

20 Frivolum est quod dicunt, numerum poenarum, & operum, quibus satisfaciendum pro peccatis, esse maiorem, quam homo in omnem vitam, tum facere tum perferre queat, ob exiguum vitae spatium, eoque necessarias Indulgentias.

21 Foedus est error, quod quispiam de peccatis se putet

C

tet

(a) Tom. 1. f. 61. Art. 3. a L. damn. (b) Aliæ concl. a Luth. def. Heidelbergæ eod. an. (c) Art. 26. è damn. (d) Art. 27. e damn. (e) Art. 31. e damn. (f) Alii errores Lut. ex Conc. hab. Wittemb. Art. 5. a L. damn.



ret satisfacturum, quae Deus gratis remittit, nihil a nobis requirens, quam ut in posterum bene vivamus.

22 Indulgentiae admittuntur propter inertes, & pigros Christianos, qui nolunt animose neque bona facere, neque mala sustinere. Nam Indulgentiae nihil promovent in melius, ideoque non est licitum ad eas adhortari.

23 Indulgentiae neque praecepti, neque consilii sunt, sed ex illarum rerum numero, quae sub permissionem cadunt.

24 Contritio, quae operatur per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum gravitatem, damnum, foeditatem, multitudinem, amissionem aeternae beatitudinis, ac aeternae damnationis acquisitionem, & alia, quae possunt tristitiam, & dolorem excitare spe satisfaciendi per bona opera, facit hominem hypocritam, imò magis peccatorem. (a)

25 Excommunicatio est dumtaxat externae privatio communionis, non spiritualium Ecclesiae honorum, communiumque orationum. (b)

26 Excommunicatio amanda est. (c)

27 Baptismus non totum peccatum tollit, & abluat. Coepta tantum in eo christiana innocentia est, non absoluta.

28 Longe illi errant, & peccant quoque graviter, qui cogunt homines sub peccato mortali, in Paschatis festo Sacramento uti. (d)

29 Confessionem auricularem, quae fit coram sacerdote, Deus non praecepit, verum Papa ad eam cogit homines. (e)

30 In communione Eucharistiae una species nemini exhibenda, sed is qui Sacramento uti volet, aut integrum Sacramentum, ut à Christo institutum est accipiat, aut prorsus abstineat.

31 De

---

(a) Art. 6. a Leon. damnatus. (b) Art. 18. damn. (c) Art. 19. damn. (d) Fol. 76. (e) Fol. 77.



31 De sacramentali poenitentia nullum habetur praeceptum Christi.

32 Deus praecepit homini impossibilia. (a)

33 Deus exigit à quolibet Christiano summam perfectionem, & totum Evangelium, unde nulla sunt consilia, sed omnia Evangelii sunt praecepta. (b)

34 Deus mutat poenam aeternam in temporalem, cujus Canones, aut Sacerdotes, nec statuendae, nec auferendae habent ullam potestatem.

35 Quilibet Sacerdos debet absolvere Poenitentem à poena, & culpa, aut peccat. (c)

36 Quod Deus a morituro plusquam voluntariam mortem requirat, vanissima temeritate asseritur.

37 Haereticos comburi est contra voluntatem spiritus. (d)

38 Praeliari adversus Turcas est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras.

39 Non sunt septem Sacramenta, & tantum tria pro tempore ponenda, Baptismus, Poenitentia, panis; & haec omnia per Romanam Curiam in miserabilem captivitatem ducta: quamquam si usu Scripturae loqui velit, nonnisi unum Sacramentum sit, & tria signa sacramentalia.

40 In altari verum esse panem, verumque vinum absque haeresi credi potest. Transsubstantiatio nulla scriptura, nulla ratione nititur.

41 Impiissimus est abusus, quo factum est, ut ferè nihil sit hodie in Ecclesia receptius, ac magis persuasum, quam Missam esse opus bonum, & sacrificium. Manifestus, & impius error est, Missam pro peccatis, pro satisfactionibus, pro defunctis, aut quibuscumque necessitatibus suis, vel aliorum offerre, seu applicare.

42 Periculosus error est, quo Poenitentia secunda post naufragium tabula creditur, & dicitur: perniciosus er-

C 2

ror

(a) Lut. in Ep. ad Fr. Min. Conv. Juterbo. (b) Lut. in Thes. advers. Eckium. (c) Lut. tom. 6. p. 282. Art. 28. è damn. Art. 29. è damn. a Leon. X. (d) Lut. de Capt. Babil.



ror est putare per peccatum excidisse vim Baptismi.

43 Numquam irritum fit Baptisma , donec Baptizatus desperans , redire ad salutem noluerit. Baptizatus etiam volens non potest perdere salutem suam , quantiscumque peccatis , nisi nolit credere.

44 Neque Papa , neque Episcopus , neque ullus hominum habet jus unius syllabae constituendae super Christianum hominem , nisi id fiat ejusdem consensu ; quicquid aliter fit tyrannico spiritu fit.

45 Christianis nihil ullo jure potest imponi legum , sive ab homine , sive ab Angelis , nisi quantum volunt.

46 Nulla Respublica legibus feliciter administratur.

47 Orationes , jejunia , devotiones , & quaecumque tandem Papa in universis suis Decretis tam multis , quam iniquis statuit , & exigit , prorsus nullo jure statuit , aut exigit , peccatque in Ecclesiae libertatem.

48 Matrimonium novae legis sacramentum non est.

49 Nullum est Matrimonii impedimentum , quod in Scriptura expressum non sit.

50 Contracta contra leges Ecclesiae Matrimonia dirimi non possunt.

51 Impedimenta spiritualis affinitatis , disparitatis cultus , criminis , ordinis merae sunt nugae , & hominum commenta.

52 Inter sacerdotem , & uxorem verum est , & inseparabile Matrimonium , mandatis divinis probatum.

53 Urgente amore juventutis , & quavis alia necessitate propter quam dispensat Papa , dispensare etiam potest quilibet frater cum fratre , aut ipse cum se ipso.

54 Conjuges facti divortio ad coelibatum non cogendi.

55 Matrimonium non dirimitur , si conjugum alter , altero invito , Monasterium ingrediatur nondum consummato Matrimonio.

56 Poenitentiae sacramentum nihil aliud est quam via , & reditus ad Baptismum.

57 Omnibus , & singulis Christianis dictum est : Quodcumque



cumque ligaveritis super terram, ligatum erit & in coelis &c.

58 *Neceſſe non eſt occulta peccata confiteri Praelato, aut Sacerdoti, ſed ſufficit ut frater fratri confiteatur.*

59 *Circumſtantiae peccatorum cum matribus, filiabus, ſororibus, affinibus, locorum, temporum, dierum, perſonarum ſunt penitus contemnendae. Apud Chriſtianos quippe una tantum eſt circumſtantia: peccaſſe in fratrem.*

60 *Nulla eſt cauſſa, ut Confirmatio inter ſacramenta divinitus inſtituta numeretur: ſatis eſt pro ritu quodam Eccleſiaſtico, ſeu ceremonia ſacramentali ipſum habere.*

61 *Charaſter indelebilis, qui ordinatis imprimatur, ſigmentum eſt.*

62 *Chriſtiani omnes ſunt aequaliter ſacerdotes, hoc eſt eandem in verbo, & ſacramento quocumque habent po- teſtatem.*

63 *Sacramentum nihil aliud eſt, quam ritus eligendi concionatoris in Eccleſia, unde ille, qui non praedicat verbum nequaquam eſt ſacerdos.*

64 *Ordinare Sacerdotes, & Eccleſias, & campanas conſecrare, pueros confirmare, poteſt Diaconus, vel quilibet Laicus.*

65 *Unctio-Extrema ſacramentum non eſt.*

66 *Epistoſta in qua ſcriptum eſt: Infirmatur quis in vobis, inducat Praeſbiteros &c. probabiliter aſſeritur non eſſe Apoſtoli Jacobi, nec Apoſtolico ſpiritu dignam. (a)*

**Q**ui per omnia nequiſſimum hunc Haereticum exagita- re cogitabamus, jam haud parum mens deficit, cum nobis appareat terribile hoc monſtrum adeo multipli- cibus exornatum capitibus, ut dum unum, vel alterum impetimus, alia videantur de novo, velut quadam pro- digioſa foecunditate geminari. Et quem tot errorum va- rietas non confundat? Quamplurimi quidem ſunt, quos hucuf-

---

(a) Lut. Lib. de Capt. Bab. & quamplur. al. in loc.



hucusquē memoravimus. Ast maiora supersunt adhuc ;  
quae in sequentibus proponemus.

## §. IV.

*Quid de Scriptura Sacra , de Traditionibus ,  
de Pontifice , de Conciliis , Lutherus*

## DE SCRIPTURA.



RAECIPUUM Fidei Christianae fulcimen , in-  
simul ac ornamentum Sacra Scriptura est ; dum  
mirabile nostrae Religionis aedificium , divi-  
no quidem constructum opere , ex vivisque  
confurgens lapidibus , hoc potissimum Scri-  
pturae Sacrae nitatur fundamento , omnemque ab ea  
suam stabilitatem hauriat , ac decorem. Qui tamen uni-  
versam Ecclesiam funditus evertere cogitabat , quot ad-  
motis machinis , ac arietibus , munitissimam hanc Scri-  
pturarum arcem concutere non adtentaret ! Lutherus  
ergo anno 1522. Novum Testamentum ab ipso in Ger-  
manicam linguam translatum tot foedavit erroribus , ut  
plusquam mille ab uno *Emsero* deprehendantur. Quin  
eò impietatis sacrilegus ille pervenit , ut minimè con-  
tentus , quod Scripturas in hac sua meliori parte tam  
audacter interpolaret , pro lubitu à Novi Testamenti Ca-  
none , & Pauli ad *Hebraeos* , & Jacobi , & Judae Epis-  
tolas , & Joannis Apocalypsim abrasit , sicut & jam plu-  
rima à Veteri Testamento expunxerat. Dum vero vel à  
Catholicis , vel etiam à suis de tam aperta falsitate ar-  
gueretur , haec impudentissimè reponebat . *Doct̃or Mar-  
thinus Lutherus vult sic habere , & dicit , Papistam , &  
asinum esse rem unam. Sic volo , sic jubeo ; sit pro ratio-  
ne voluntas. Nolumus enim Papistarum scholares , aut*  
Dis-



*Discipuli esse, sed Magistri, ac Judices.* (a) Accedit; quod nulli rei Lutherus intendit impensius, quam in ejusmodi veneno, discipulorum suorum animos imbuen- do: unde passim insurgabant undique, vel etiam ex Juvenibus dicacissimi, qui de aliquali praesertim Ori- entalium linguarum notitia superbientes, clarissimos quos- que, ac antiquos Sacrarum Scripturarum Interpretes con- temnebant. Satis quippe ipsis videbatur, si primevae il- lius linguae caracterum notionem obtinuissent, si litteris jungendo litteras, aliqua effermarent vocabula, quae, multoties non abique alicujus Lexici implorato au- xilio, latina redderent, ut omnes quosque de Ecclesia in tota antiquitate benemerentissimos, qui peragratis universae Palaestinae Provinciis, qui decursis clarioribus totius Orientis Urbibus, qui auditis sapientioribus He- braeorum Magistris, qui demum superno in primis su- fulti lumine, nullo parcentes labori, in id toti incu- buere, ut Scripturae Sacrae volumina primevae resti- tuerent puritati; ut hos, inquam, in maximae temeritatis, ac audaciae monumentum, non modo non admit- terent, sed respuerent; non respuerent tantum, sed re- prehenderent, atque per calcatam tantorum Doctorum auctoritatem ad solidandas errorum suorum machinas properarent. Ad Novatorum tamen audaciam reprimen- dam, sufficit sequentia adversus ipsos stabilire:

1 Lutherani, stando suis principiis, non possunt de veritate aut falsitate Scripturarum judicare.

2 Sacrarum Scripturarum veritas, neque ex criteriis ipsius Scripturae, neque ex interno spiritu, neque ex spiritu privato probari potest.

3 Necessaria est Ecclesiae Catholicae definitio ad hoc ut cognoscamus certò aliquod Scripturarum volumen esse canonicum.

4 Ratio-

---

(a) In Convent. Aug. an. 1539.



4 Rationes quibus Lutherani se fatentur permoti ad aliquos Libros tum Veteris , tum Novi Testamenti à sacro Canone expungendos , nullius omninò sunt ponderis.

5 Lutherus nullam omninò auctoritatem habuit ad Sacra Biblia suo arbitrio interpretanda.

6 Versio Scripturarum à Luthero elaborata execrabilis valde est , ac omninò rejicienda.

7 Inter omnes Bibliorum Versiones , Editio Vulgata caeteris praeferri debet.

8 Linguarum Orientalium notitia maximè conducit ad Sacras Scripturas rectè interpretandas.

9 Necessarium tamen est , perfectissimam hujusmodi linguarum cognitionem adquirere , alioquin facile erit in quamplurimos incidere errores , qui prudentius vitarentur , dum mentem suam quis Sanctorum Patrum expositionibus subjiceret.

10 Sacra Scriptura non litteralem tantum , sed plures alios , ac varios patitur sensus : immò quamplurima sunt loca in quibus admitti non potest literalis.

11 Sacrarum Litterarum interpretario non aequè competit Doctoribus , ac laicis.

§. V.

*De Traditione.*



MAXIMA veneratione , omni in tempore , Fideles coluerunt Traditionem , tamquam Sacrarum Scripturam appendicem , totiesque ab ipso Christo Domino , ac ejus Apostolis commendatam : (a) & meritò nam Traditio nihil est aliud , quam ipsum Dei verbum , à Christo ad nos usque , non alicujus libri Canonici ministerio , sed tamquam de aure

---

(a) 2. Thessal. 2. Act. 6. Deut. 32.



re in aurem , nunquam interrupta serie derivatum. Unde ubi Scripturae non affulget lumen , Traditio sola est , quae per difficiles , flexuososque fidei tramites nos manuducit , ac velut caecutientibus viam aperit , quaque ductrice , quid profequendum , à quove declinandum , ubi tutò figendi pedes , nobis apertissimè demonstratur. Lutherus tamen , ut assolet , sibimetipsi in omnibus contradicens , aliquando visus est Traditiones amplecti , ut in Exp. ad cap. 5. Ep. ad Galatas , & in Epist. ad Marchionem Brandenburgensem : aliquando verò ipsas impugnat , ut in Assertione articulorum ad Leonem X. Certum est , Lutherum tunc Traditiones admisisse , quando obscurioribus conceptae terminis , in sinistrum sensum poterant ab ipso interpretari ; illas verò omnino reiicere , quando nullo modo eas poterat in probationem sui erroris adducere : unde semper adversus Lutherum stabiliendae sunt subsequentes conclusiones :

1 Extant Divinae Traditiones , quae eandem auctoritatem habent , quam habent Sacrae Litterae.

2 Tota fides in Lege Naturae , & maior ipsius pars in Lege Scripta , Verbo Dei non scripto , seu Traditionibus nitebatur.

3 Sibimetipsis contradicunt Lutherani , dum asserunt nihil credendum , aut faciendum , nisi quod apertissimè in Scripturis invenitur expressum , vel praeceptum.

4 Ut Traditio sit certa credendorum regula , debet etiam certò constare quod ipsa sit Divina.

5 Id autem nobis constare non potest , quin intercedat Catholicae Ecclesiae auctoritas.

6 Nihil Sacrae Scripturae Catholici detrahunt , nec eam videntur contemnere per hoc , quod Traditiones admittant.

7 Quas Scriptura Traditiones reiicit , & nos reiicimus , eas nempe , quae merè humanae sunt , ac repugnantes mandatis Dei.

8 Dum Lutherani quasdam Traditiones amplectuntur,



tur, quasdam despiciunt, non Traditionibus, sed sibi-  
metipsis credunt; unde nonnisi traditiones hominum pro-  
priè sequuntur, & revera ex illis sunt contra quos in-  
vehitur Christus, dum ait Marc. cap. 7. *Bene prophe-  
tavit Isaias de vobis hypocritis ... in vanum me colunt,  
docentes doctrinas, & praecepta hominum.*

## §. VI.

*De Pontifice.*

**H**XHORRESCIT animus vel saltem referre tot  
calumnias, tot maledicta, quot in Summum  
Ecclesiae Pastorem, ac ipsius Christi in ter-  
ris Vicarium Lutherus impiè congeffit, ut  
vel ex ipsis conicere liceat, quam enormi-  
ter maledicum, quam effraene, quam infame sit mon-  
strum istud. In immensa illa librorum suorum farragine,  
qui nonnisi mole praevalent, vix aperietur pagina, quae  
non tot dicteria contineat, quot litteras. Pontificem no-  
minare *sathanam, diabolum, Herodem, Anti-Christum*;  
haec quidem leviora sunt, quae spurcissimus haereticus  
in Apostolicam Sedem evomuit: caetera dicere non si-  
nit pudor. Sanctissimis illis Patribus, & Christi digni-  
tatem insimul, at mansuetudinem praefertentibus, tole-  
rabilior fieret tanta maledicendi licentia, infractaque  
ipforum virtus libentiùs condonaret injurias, si non in  
ipsis eademmet Christiana Religio quateretur. Ast quam  
graviter ipsa fides Ecclesiae in suo Capite impetatur,  
videre est in sequentibus propositionibus à Lutero ipso  
propugnatis: (a)

- 1 *Petrus non fuit Princeps Apostolorum.*
- 2 *Papa solùm jure humano est Vicarius Christi.*
- 3 *Romanam Ecclesiam esse omnibus aliis superiorem,*  
*pro-*

---

(a) Theses Lipsicae Lutheri contra Eckium.



probatur ex frigidissimis Romanorum Pontificum Decretis intra quadringentos annos natis ; contra quae sunt historiae approbatae mille & centum annorum , textus Scripturae Divinae , & Decretum Nicaeni Concilii.

4 Primatus Romani Pontificis non est jure Divino. (a)

5 Sanctus Petrus Primatum dumtaxat honoris , non Primatum potestatis habuit supra caeteros Apostolos. (b)

6 Certum est in manu Ecclesiae , aut Papae prorsus non esse articulos fidei statuere , imò nec leges morum , seu bonorum operum. (c)

7 Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supra alias Ecclesias.

8 Obedientia Ecclesiastica , est obedientia secundum ad inventionem Sacerdotum Ecclesiae praeter expressam auctoritatem Sacrae Scripturae. (d)

9 Romanus Pontifex est Antichristus : Romana Ecclesia Synagoga sathanae , Babylon , lupanar , sedes Antichristi , &c.

Nullus esset dicendi finis , si omnes scriberemus calumnias in Romanum Pontificem , & ipsius Sedem à Luthero prolatas : illud tantum liceat adiicere : Lutherum tanto odio in Summos Pontifices exarsisse , ut execrando facinore , omnibus retrò saeculis inaudito , totum Jus Pontificium , una cum Leonis Diplomate , quo quadraginta ipsius errores damnaverant , publicè in foro Wittembergae in ignem congesserit , his adjunctis verbis : *Quia tu conturbasti Sanctum Domini , ideoque te conturbet ignis aeternus.*

## §. VII.

(a) Fol. 267. (b) Tom. 1. fol. 307. (c) Art. 22. ex damn. 2 Leon.  
(d) Tom. 2. p. 19.



*De Conciliis.*

VIDERETUR sanè Lutherum non adeo infensum fuisse Conciliis, si vel hoc saltem bonum cum tanta istius hominis nequitia diu posset sociari. Certò, Ecclesiae Conciliis aquiescendum esse affirmat Lutherus in *Disputatione Lipsica*, & in *Assertionibus contra Zuinglium*, & *Oecolampadium*. Ast sibi metipsi, ut in omnibus contradicens, idem negat in *Libris* scriptis contra Regem Angliae, & tomo 7. de *Formula Missae*. In controversiis ab initio inter Lutherum, & Legatos Pontificis agitatis, appellavit primò Lutherus à Cardinali Cajetano ad Papam, deinde à Papamalè informato ad Papam melius informatum, tùm demùm à Papa ad Concilium. Unde inferre quis posset, Lutherum nequaquam de Conciliis malè sensisse, cùm in ipsis agnoscere videretur potestatem Fidei controversias judicandi, ac morum. Ast ubi Lutherus vidit coactum jam esse Concilium; à Concilio rursus appellavit ad Scripturam, ac tandem ad proprium sensum: quod quidem aliud non erat, quàm perditae causae moras quaerere, & decretoriam sui erroris eludere sententiam. Tandem si aliquando alicujus Concilii Lutherus auctoritatem commendat, ideo est, quia ipsi videtur, suae doctrinae non esse contrarium: dum verò ipsum cuilibet suo errori opponitur, statim in Concilia, sicut & in caetera Religionis dogmata debacchatur. Unde adversùs ipsum propugnamus:

1 Concilium OEcumenicum, ac legitimè congregatum potestatem habere circa Fidei controversias dirimendas.

2 Ad hoc ut Concilium Generale sit legitimum requiri, ut sit auctoritate Summi Pontificis convocatum.

3 Posse



3 Posse hujusmodi defectum suppleri subsequenti vel tacita, vel expressa approbatione Pontificis.

4 Concilium Nicaenum non opponi dignitati Ecclesiae Romanae, nec ejus superioritati supra caeteras Ecclesias.

5 Concilium Constantiense non errasse, dùm hunc damnavit articulum: *Ecclesia Christi est universitas Praedestinatorum.*

6 Meritò idem Constantiense Concilium damnasse Joannem Hus, ipsumque saeculari brachio, ultimo afficiendum supplicio, tradidisse.

7 Concilium Tridentinum esse legitimum, & ab omnibus, saltem in rebus ad fidem pertinentibus, approbandum.

8 Ineptas omninò esse, ac fidei contrarias, conditiones quas Lutherani requirunt, ut Concilium legitimum dici possit, scilicet: 1. Quod ex sola Scriptura, & non ex Traditionibus feratur sententia. 2. Quod decisio fiat non secundum pluralitatem suffragiorum, sed secundum regulam verbi Divini. 3. Quod Papa priùs absolvat omnes Praelatos juramento fidelitatis. 4. Quod Papa ipse nec judicet, nec praesit in Concilio. Quae omnia toti retrò antiquitati repugnant, ac universalis Ecclesiae consuetudini in celebratione Conciliorum servari solitae.



*Quid Lutherus sentiat de votis monasticis ,  
quid de continentia Clericorum.*



E ipsa commendatur Monachalis vita , quin alienis augeatur laudibus , neque haereticorum minuatur vituperio. Quousque floruerint Monachorum coetus , florebit litterae , florebit Religio , florebit & Imperium. Non Ecclesia tantum , sed & Regna , non tam armis , aut divitiis , quam scientiis , quam pietate fulciuntur. Doctrina fides extenditur ; Sceptrum Religione firmatur. Dum scientia , dum pietas regnaverit , pro nobis iidemet superi dimicabunt. Ast ubinam meliorem sibi sedem praefixit unquam & sapientia , & virtus , quam in absconditis illis solitudinibus , ac reconditis locis à populorum turbine separatis ? Si alicubi , hic tamen maximè , omni in aevo sanctitas , omni in tempore litterae vigerunt. Si foederata in Ecclesiae damnum , erumpunt è tenebris haereticorum agmina ; ibi strenuissimi veritatis pugiles , qui omnium errorum potentiam , vires evertant. Si adhibita vitiorum mole , Christiana Imperia turbat iniquitas ; ibi viri sanctissimi , qui Dei gloriae zelo , & debita Principum Legibus obedientia moti , velut aggeres impietatum , ac scelerum illuviei obsistunt. Inde factum ut maxima semper in veneratione haberint hujusmodi Religiosorum hominum societates , quicumque vel Ecclesiae , vel Nationibus praesuerunt , optime experti quantam ex ipsorum conversatione utilitatem , & fideles caperent , & populi. Quin & ad eorum similitudinem , ubique legimus , ac videmus constructos à Principibus plurimos saecularium , ac Laicorum Conventus , ubi facilius , ac securius instituta optimis litteris ac moribus juventute , maiori ornamento esse possint & Ecclesiae ;



fiae, & Imperio. Unus tantum, & ipse perfidus apos-  
 tata, Lutherus fuit, qui viperino furore percitus, in hu-  
 jusmodi societates, tot a Principibus cumulas hono-  
 ribus, tot sapientissimis refertas viris, tot conspicuis  
 sanctitate, ac virtutibus exornatas hominibus, conspira-  
 rent: ut vel etiam de tali dedicatore damnationis nostrae  
 gloriaremur, dum nonnisi grande aliquod bonum à Lu-  
 thero damnari potuisset. Lutherus ergo lib. de *Votis Mo-  
 nasticis*, ita loquitur: *Cupio eradicata, & extincta, &  
 abolita esse universa Monasteria: quae utinam Dominus  
 igne, & sulphure coelesti, ad exemplum Sodomae, & Go-  
 morrhæ, demergat, adeo, ut ne memoria quidem illo-  
 rum supersit.... Vota monastica sunt impia, Gentilia,  
 Judaica, sacrilega, mendacia, erronea, doemoniaca, hy-  
 pocritica, apostatica, etiam sanctorum exemplis adver-  
 saria. Quare cum omni fiducia revocanda, ac discernen-  
 da sunt, etiamsi pia, ac seria opinione emissa fuerint.*  
 Videant nunc quem sequuntur ducem, quem Magistrum,  
 siqui sunt, qui fortassis nostrum in medio conversantes,  
 iisdem nos lacerant contumeliis! Videtur ne quod tanti,  
 tamque modesti Praeceptoris discipuli, merito sint Christi  
 Fidelibus adjungendi? In expos. etiam *Ep. i. ad Corinth.*  
 haec habet Lutherus: *Qui Caelibem in Monasteriis vitam  
 degunt, idolo Moloch corpora sua cremant.* Sed unde nam  
 tantum Luthero in Monachos, & Monasteria odium,  
 ac rabies, nisi ob salutare, laudabileque servandae casti-  
 tatis propositum, quod aequaliter & in Laicis, & in  
 Clericis execratur? Epistola enim ad Wolffgangum Reif-  
 senbusch ita ait: *Votum continentiae contra verbum, &  
 opus Dei susceptum, ut impossibile, & impium nullius  
 momenti est. Deus reprobatur illud non secus, ac si voris-  
 sem Dei Matrem me fieri velle, aut novum Coelum con-  
 dere velle.* Et in lib. de *Vita conj.* *Crescite, & multi-  
 plicamini, non est praeceptum, sed plusquam praeceptum,  
 quod nos non possumus impedire, vel praetermittere, &  
 perinde necessarium est, ac edere, & bibere, purgare,*  
expue-



*expuere, dormire, & vigilare.* Innumera hujus generis passim in suis operibus inveniuntur, quae nos in simul cum suo authore execramur, impugnabimus.

Unde in gratiam Religiosi statû, quo nos merito gloriamur; asserimus, ipsum esse omnium perfectissimum, caeterisque omnibus praefendum. Asserimus etiam Monachorum societates, utpote plenas viris, litteris, & sanctitate conspicuis, valde utiles esse tum Ecclesiae, tum Imperio. Id quidem desiderandum foret, ut tot scientiarum, ac virtutum splendor, non in angustiis tantum Monasteriorum septis contineretur, nec eum sub modio ponerent, quin sinant foras erumpere, ut lucret omnibus, qui in domo Ecclesiae sunt. Hoc modo forsitan propius accederetur ad primaevam Religiosorum hominum institutionem, qui ad hoc constituti fuerunt à Christo primùm, ac à caeteris postea spiritus sui haeredibus, ut Coadjutores forent Episcoporum. Id scimus, maximè quidem desiderari à Praefulibus quamplurimis, quos novimus, magna, prae caeteris, & litterarum, & pietatis laude florere. Desiderandum etiã foret, quod maturior aetas in emittentibus Religionis vota expectaretur; non vult enim Deus coecum agnum sibi offerri. (a) Et si Ecclesia sexdecim annorum aetatem profitentibus Religionem praefixit, non sequitur ex inde voluisse ipsam, quod statim dum ad hanc pervenitur aetatem, emittatur professio; sed quod minimè ante hoc praestitutum tempus id fiat: eo modo, quo duodecim annorum aetas in feminis, & quatuordecim in masculis ad ineunda Matrimonia stabilitur; & tamen non valdè laudantur, qui ad ea celebranda solidiorem aetatem non expectant. Desiderandum foret 3. Quod in hoc tanti ponderis negotio, plus adtenderentur candidatorum desideria, quam vel Parentum, vel Familiarum commoda: quod nullus reciperetur invitus: quod honestioribus tantum

---

(a) Levit. 22. 22.



tum concederetur ingressus : & quod demum ex sanctiori, ac nobiliori etiã in Parentum domibus, institutis cura, potissimum seligerentur. Desiderandum foret tandem, quod habitantibus fratribus in unum, inter omnes pax, & concordia servaretur, ut nullae unquam factiones, nullae dissidia audirentur, sed foret omnibus anima una, & cor unum in Deo : (a) ut sic inveniant semper in illis populi exempla, quae sequantur, Principes merita, quae remunerent, ac Deus potissimum virtutes, quas coronet.

### §. IX.

#### *De moribus Lutheri, & quomodo ipse suos Sectatores instituat.*



UI attentè omnium saeculorum historias perpexerit, mirabitur profectò nullum extitisse haeresum, ac novitatum Auctorem, qui ut populorum multitudinem in suas partes adduceret, non prius eam sub simulatione virtutis allectam hypocrisis irretiret. Quod vitium, detecta ipsius turpitudinis facie, respuitur, libenter admittitur, dum sub deaurato justitiae poculo propinatur. Vel etiam Christi temporibus, omnium nequissimi Pharisei longas habentes orationes; jejunantes bis in Sabbatho; minutissimas qualque, suas tamen, traditiones custodientes, ac in omnibus affectantes zelum legis, dum intrinsecùs forent lupi rapaces, ovium faciem omnibus ostentabant; quos maxime cavendos, docet nos Dominus. (b) Qui eos postea secuti fuerunt, & qui maiorem, per omnia, Ecclesiae perniciem intulere, Simon Magus, Nicolaus, Arius, Pelagius, caeteri; hi omnes ubique extases, revelationes, omnia

E exter-

---

(a) Aug. in Reg. c. 1. (b) Math. 7. 15.



externa sanctitatis indicia praeferabant , ut sub hac simulatae pietatis larva , & Pontificum Decreta elluderent , & Principum vitarent sententias , immò & quandoque ipsorum gratiam acquirerent ; sicque felicius sui erroris veneno , simplicium corda inficerent. Lutherus ergo ut Antesignanos hos suos imitaretur hypocrisi , quos debebat postea & errorum multitudine , & impietate excellere , per decem annos , quibus vixerat sanctissima Augustini lege adstrictus , non parum vel domesticis , vel exteris , sub specie sanctitatis imposuit. Amico quodam , ac suorum criminum socio , juxta se , fulmine repente percusso , perterritus & ipse , abiecta Doctoris laurea , Lutherus claustrum ingreditur : at non , ut ipse fatetur , acquirendae perfectionis desiderio , sed terroribus de caelo commotus. (a) Ut tamen omnibus se ostenderet specialitèr à Deo vocatum , humanaeque laudis valde cupidus ; ut dignitates , & gloriam , quam amiserat in saeculo , recuperaret in claustro ; eximias apud omnes simulabat virtutes , non absque daemonis ope , deftitutus Dei gratia. Quum verò excusso Religionis jugo , spatiosus suis sceleribus patuit campus , in quae horrenda , ac execrabilia facinora non est prolapsus Lutherus ! Nul- lum sanè flagitium fortassis erit , quod horribile mon- strum illud non admiserit. Neque nobis necessum est aliorum perquirere testimonia ad ipsius comprobendam nequitiam : vel ex ipsiusmet scriptis Lutherus inaudita enormitatis convincitur. Praeter ea , quae jam sunt exscripta , alia ulterius percurramus. Constat 1. ex ejus *Colloquiis Mensalibus* , Lutherum fuisse blasphemum : ibi enim Deum ipsum variis , & indecoris titulis compel- lat ; Christum vocat *diabolum* ; totque alia scribit , quae nos vel referre pudet. 2. Lutherus fuit enormiter im- pudicus , ac obscenus ; turpissimis enim adeo verbis , in suis libris utitur , ut ea reticere necesse sit , ne ca-  
lamus

---

(a) In Praef. de Vot. Monast. ad Parentem.



lamus inquinetur. 3. Lutherus fuit summè maledicus in Ecclesiam, in Principes Saeculares, in Sanctos Patres &c. Constat ex omnibus suis libris, praesertim de *Captiv. Babil.* & ex *Epistolis ad Henricum VIII.* 4. Lutherus fuit valdè ebrius: ipse fatetur. En ipsius verba: *Ego Martinus Lutherus vix ullam consolationem ex morte, & resurrectione Christi capere possum. Bonis autem corporalibus à Deo acceptis, ut edere panem, & bibere cervisiam optimè possum. Et nos Germani ingurgitamus nos potando ad paupertatem, mortem, & insaniam usque.* Ne in infinitum usque progrediar: ad plenissimam hujus pessimi viri infamiam addere sufficit, ipsum toto vitae suae tempore ad mortem usque, servasse familiaritatem, atque consuetudinem cum diabolo. Prob. ex *Lib. de Missa Ang. de Unct. Sacerd. &c.* Quomodo ergo sectatores suos homo iste nequissimus institueret? Nulla sanè fortassis erit cujuscumque haeretici secta, quae vel etiam prima fronte, maiorem deformitatem prae se ferat. Equidem Lutherana religio viam sternit omnibus sceleribus; licentiam fovet, bona opera reiicit, legum auctoritatem enervat, contritionem irridet, facinora quaeque non permittit tantum, aut praecipit. Audiamus semel eximium hunc Lutheranae Religionis Institutorem, suos ad virtutis semitam adhortantem: *Esto peccator, inquit ille, & pecca fortiter..... à Christo non avellet nos peccatum, etiam si millies uno die fornicemur, aut occidamus.* (a) En qualis Praedicator! Qualis Religio!


§. X.

---

(a) Tom. I. Lat. Epist. f. 345.



*Epilogus , ac modus insimul concordiae inter  
Lutheranos , & Ecclesiam Catholicam  
ineundae.*



ROH quantam , quam-ve deformem errorum multitudinem ! Quantis , & quam foedissimis deturpatam maculis Lutheranismi faciem ! Diceret omnium haeresum monstra per tot antea jugulata saecula , suis-met geminata ictibus , in uno Luthero , denuò , ac terribiliter surrexisse. Illud tamen mirandum maximè , quod adeò horribile monstrum tandiu duret , tantoque studio nutriatur , non jam in Hircaniae silvis , aut inter abruptas Barbarorum cautes , sed in medio florentissimarum totius Europae Nationum , in quibus tot vigent artes , tot scientiae ; in quibus tot invenire est praeclaros homines , insignes cum belli , tum pacis munere. Quam dolendum , quod in ipsis una tantum vera desideretur fides ! Quam erubescendum ipsis , quod tam infami Lutheranismi ergastulo teneantur ! Quodque adeo nobile Imperium tam immunda errorum , ac falsitatum elluvie maculent , tot olim viris vel etiam ex Principibus doctrina , & sanctitate conspicuis exornatum , ac tot Praedecessorum suorum illustratum gestis , qui pro antiqua Apostolorum fide , pro intemerata Christi Ecclesia adeò viriliter , adeo strenuè dimicarunt ! Poterunt-ne meritò fastoso *Evangelicorum* , aut *Reformatorum* nomine Lutherani gloriari nunc , qui in omnibus Evangelio vel doctrina , vel moribus contradicunt ? Poterunt-ne meritò de sua Ecclesia gloriari , quam vident à diabolo , ac ejus pessimo discipulo fabricatam ? Dum Romana , & ipsa tantum vera Christi Ecclesia tot splendet miraculis , tot decoratur Martirum sanguine ; adpareat unus tantum Luthe-  
ranis-



ranissimi sectator ; qui in confirmationem suae doctrinae vel unum solum pulicem sulcitasset , aut qui hilari animo , divinoque inflamatus amore , pro Christo vitam , aut sanguinem tradidisset.

Revertantur ergo errantes oves ad salutaria pascua unde exierant , ne , sine Pastore grex , à lupis ferocibus devorentur. Confugiant ad sinum piissimae Matris , cujus nunc dirumpunt viscera ; neque ipsa illorum amplius ingritudinis recordabitur , quin extensis dulcissimae pietatis brachiis , eos verae doctrinae pabulo satiabit , vestitosque stola prima in pristinam dignitatem restituet , maximeque gaudens , ac exultans , inter dilectos suos filios numerabit. (a) Id faxit Deus , cujus est omne donum optimum ; & quod jam opus incoeperat per Vicarium suum aeternae memoriae Clementem XIV. immatura morte , summisque omnium desideriis praereptum , utinam per quem nunc , tanto bono Ecclesiae , ei praeest , ipse perficiat. Quod nobis sperandum : neque enim temere coniecimus Anglorum animos non jam adeo esse in sua coecitate obduratos , ut ipsis qualis qualis veritatis scintilla non afulgeat , quae si identidem foveatur , in perfectum lumen possit clarescere. Quod fortassis eveniet , si sedulo de unione inter Protestantes , & Catholicos meditetur , quam plurimi certò desiderant , vel etiam ex haereticis. Et si pro hac perficienda concordia , aliqua permitterentur ipsis , quae quidem Ecclesia potest concedere ; quod scilicet Laici sub utraque specie communicarent , quod Sacerdotes suas retinerent uxores , aliaque hujusmodi , fidei dogmate integro permanente , ac aequaliter ab omnibus custodito ; non aliter se gereret cum Lutheranis Ecclesia , quam olim Paulus cum Corinthiis , dum ipsis aiebat : *Tamquam parvulis in Christo , lac vobis potum dedi non escam ; non dum enim poteratis , sed nec nunc quidem potestis ; adhuc enim carnales estis.*

---

(a) Luc.



*estis.* (a) Sicque facilius foret compositio: quae utinam nostris temporibus eveniret, ut congratulari merito posset Ecclesia de restituta denuò, tot usurpata temporibus, sibi à Christo traditae haereditatis, hac desideratissima portione. Abjurataque à Lutheranis, insimul cum aliis, perniciosissima illa lege, de non bellando adversus Turcas, in ipsos potiùs arma converterent, eosque de usurpato, magna Christianorum injuria, tot faeculis Imperio, deiicerent, atque ad steriles Arabiae plagas, unde exierant, iterum propellerent; sicque ex tota hac nostra, quae caeteris valde praestat, Orbis parte, conversis ad veram fidem omnibus ejus Principibus, fieret unum Christi ovile, & unus Pastor. (b)

## M O N I T U M

**Q**uum, temporis pressi angustiis, haec omnia celeri valde manu, ac fugientibus quodammodo oculis conscripserimus, de eo quidem solliciti, si forte superesset tempus, vel solum typis mandando operi necessarium; dumque innumera prope sese obiicerent animo, quorum multitudine implicaremur satis, & si nequaquam omittenda, praefixis stando promissionibus, viderentur; haec ideo notanda duximus; quamplurima sanè deesse adhuc ad tanti monstri deformitatem in integrum adumbrandam: tanta quippè errorum varietate scatet, ac numero, Lutheranismi secta, ut si quis omnes velet exscribere, omnia, & quidem ingentia Lutheri volumina necessum foret exscribere; quin & caeterorum, qui talem secuti fuere Magistrum, qui licet in adversas abierint partes, seseque gladiantur mutuò, omnes tamen sunt in impugnanda veritate concordēs. Quae tamen vel temporis brevitate, vel tantae impietatis fastidio, praetermissimus; si cui de ipsis differere otium fuerit, id concedimus ultrò, ac ea omnia libenter offerimus pro insertis.

---

(a) Corinth. 1. cap. 3. (b) Joan. 10. 16.



C O N I M B R I C A E :

Ex Typographia A C A D E M I C O - R E G I A ,

Anno Dñi M.DCCLXXXI.

*Regiae Curiae Censoriae permissu.*



COMMERCE

In Typographia ACADEMICA REGIA


MDCCCLXXXII

Regiae Curiae Consuevis formis















ficha 15  
Portugal, Religião.

a/66

x st. —

(ix) 20



094.2  
5594 l



